



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae, 1611**

De studio virtutum. Cap. 14.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

scera mea; quæ fiant sicut lampades ignis, atque flammarum, ita ut aquæ multæ non possint extinguere charitatem, nec flumina obruant illam. Hæc sit pars mea, & præda mea, oro te, fili Dei, ut reformatus ad exemplar amoris tui, totus inflammaber æterno, ac dulcissimo incendio tuo.

*De studio virtutum.*

## CAP. XIV.

**H**omo quasi flos egreditur, paululum virescit, & statim conteritur: ex quo patet, quod nunquam in eodem statu permanet. Et tamen in hac inconstantia & breuitate vitæ, omnia tentat, & peregrinatur, & nauigat sine fine: studij verò virtutum non recordatur, & euanescit in quandam dementiam incredibilem. Cæcus est, neque requirit lumen: claudus est, neque mentem applicat ad sanandos, & dirigendos pedes suos in viam pretiosissimæ pacis filiorum Dei. Miror stultitiam hanc, qua tenentur filij Adam præuaricatores ab vtero matris suæ. O quam turpis error est quærere disciplinas hominum, quorum nomina scri-

scri-

scribuntur in terra; & negligere sapientiam Sanctorum, quorum nomina scripta sunt in cœlo! Beatus vir, qui humilitatē, mansuetudinem, obedientiam, & cæteras virtutes Christianas querit sicut aurum, ut corona pulchritudinis ornetur caput eius. Hic est sapientior sapientibus, & fortior fortibus, cuius nomen viuet in æternum. Non est inter mortales gloria vlla, quæ cum anima virtutibus decorata comparari possit. O quàm delitiosus est virtutum paradiscus quem plantat Iesus Christus in anima sponsæ suæ, ut delectetur in ea! O amœnitas hortorum Dei, cuius delitiæ sunt cum filiis hominum! Verè flores isti spirant odorem suavissimum ad Austrum, & fragrantia Dei delectat casta corda suspirantia in statum immortalitatis, vbi apparebit dulcissimus decor virtutum, quibus filia Sion coronatur. Certè si homines, qui adorant idola mundi, viderent semel choros virtutum ordinatos, & assimilatos perfectissimæ formæ filij Dei, citò conuerterentur ab erroribus suis, & studiosissimè quærerent decorem virtutum. Sed vae mihi! neque enim ego satis cognoui quàm sint amabilia hæc lumina animæ, quæ præparatur ad nuptias Agni Dei.

Vtinam scaperem, & intelligerem, quanta, & quam inestimabilis sit honestas, & pulchritudo animæ, quæ quasi filia Regis est circumdata vestitu deaurato! Tu potes, Altissime Deus, instruere me, & imprimere visceribus meis sensum diuitiarum interiorum, quibus adornas sponsam tuam. Imprime ergo, Domine misericordissime, sensum istum, & fac ut vigilem diebus, atque noctibus in studio celestium virtutum tuarum, & trahar decore domus tuæ. Et letabor ego valde super abundantiam dulcedinis tuæ, sicut qui superatis hostibus suis, inuenit spolia multa. Eroque fidelissimus præco misericordiarum: cantaboque mirabiles victorias tuas.

*De studio contemplationis.*

CAP. XV.

**B**Eati sunt, Rex pacifice, serui tui, qui assistunt faciei tuæ, & remoti à strepitu negotiorum mundi contemplantur mirabilia tua. O quam iucundum, quam suaue, & quam desiderabile otium illud, in quo, silentibus passionibus, & imaginationibus, filia Sion, dulcissima sponsa

tua  
sors  
valde  
dorm  
in ca  
aude  
oper  
or!  
Dom  
latib  
surat  
tuos  
ro va  
xis tu  
gis d  
mibi  
stilli  
enim  
bonu  
tio c  
impe  
verò  
mine  
pecta  
mæ f  
audit  
man  
à me  
lium